



Q. K. 432, 2.

DE
DECVRIONIBVS
IN MVNICIPIIS ET COLONIIS IMPERII
ROMANI
EXERCITATIO BREVIS

QVA AD
ORATIONEM ADITIALEM
AVDIENDAM

PER OFFICIOSE INVITAT
M. CHRISTIANVS FRIDERICVS JÜNGERVS
RECTOR SCH. NEOSTAD. AD DRESDAM.



DRESDAE
TYPIS HARPETERIANÆ VIDVAE.

Q. D. B. V.

Omnium, quibus officia praestanda sunt, *societatum nulla est*, auctore CICERONE *Off. L. I. grauior, nulla carior, quam ea, quae cum republica, s. patria, est unicuique nostrum. Unde si contentio quaedam, et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii*, cum eodem scriptore inter *principes* merito ponimus patriam. Sub patriae vero nomine si quis eum tantummodo locum, in quo natus et educatus est, intelligeret, haud dubie vim huius vocabuli nimis angustis circumscriberet limitibus. Patria potius est vniuersa illa regio, quae eidem principi pareat, iisdemque legibus utitur. Huic omnes ciues, in suo quemque vitae genere officia tribuere oportet, et quamdiu, quae pro conditione sua ipsis obseruanda sunt, recte obseruant, non est dabiū, quin, illos vtilem operam patriae praestare, recte dicamus. Quis igitur neget, illos quoque patriae et totius reipublicae vtilitatibus inseruire, qui iuuenum institutioni recta ratione vacant, siquidem teneris illorum animis doctrinas instillant, quae unicuique, si deum rite colere, principi haud inuitus parere, vitae suae socio bene facere, et vt paucis dicam, bonus patriae suae ciuis esse cupit, scitu sunt necessariae? Quo circa ego quoque, per me diuinum honorem auctum pariter, et patriae commodis aliquatenus consultum iri putauī, si viribus a deo datis ad instituendam iuuentutem vterer. Hac mente inde a studiorum meorum primordio in primis artibus liberalibus operam dedi, et per dei gratiam adhuc non sine vtilitate, quemadmodum spero, Conrectoris munere in schola Chemniciensi functus sum. Nunc vero numinis diuini voluntas hoc munus cum alio commutare me iubet. Eo res sic ordinante factum est, vt INCLYTUS REIPUBLICAE DRESDENSIS SENATUS pro sua singulari beneuolentia munus in schola, quae Neostadii ad Dresdam floret, docendi mihi demandare non dubitaret. Quam quidem benignam erga me mentem quanti aestimem, verbis exprimere non valeo. Tanto gratiori animo beneficium hoc in me collatum publice praedico, Deumque precibus humillimis oro atque obtestor, vt PATRONOS MEOS OPTIMOS, quos ad cineres vsque venerari non desistam, saluos semper, et incolumes conseruare, omnibusque corporis pariter et animi bonis abunde cumulare velit. Ceterum sancte polliceor, me pro facultatibus a benignissimo numine suppeditatis omni opera studioque id acturum, vt muneris mihi demandati partes impigre expleam. Nec dubito, quin Deus clementissimus precibus meis

meis ardentissimis annuat, quae praefertim eo spectant, ut ad labores muneris, quod suscipio, sustinendos auxilium ejus efficacissimum efflagitem. Faxit summus ille omnium rerum moderator, ut per me honor ejus au-geatur, et juuenturi liberalium artium studiosae consulatur! Eodem consilio haec pagellae in lucem prodeunt, quibus primitiae quasi meorum in schola Neostadiensi laborum continentur. Pauca nimirum de

Decurionibus in municipiis et coloniis imperii Romani

quantum festinatio, et angustum temporis spatium permittunt, in medium adferre constitui, ex quibus juvenes litterarum cupidos ad cognitionem suam augendam aliquid hausturos esse spero. Nam si viris doctis aliquid noui exhibere me posse crederem, arrogantiae ridiculae merito arguerer. Satis lucri exinde ad me redundare existimabo, si conatus meos illis non profusus displicuisse intellexero.

Municipium et colonia quomodo differant, multis explicare non est hujus loci. Sufficiat hac de re GELLII verba in *Noct. Attic.* L. XIV. C. 13. adferre: „Municipes, inquit, sunt ciues Romani ex municipiis suo jure, „et legibus suis videntes, muneris tantum cum populo Romano honorarii „participes; A quo munere capessendo appellati videntur — Sed colonia- „rum alia necessitudo est. Non enim veniunt extrinsecus in ciuitatem, nec „suis radicibus nituntur, sed ex ciuitate quasi propagatae sunt, et jura in- „stitutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent.“ Plura dabunt SPANHEMIUS in *Orbe Romano*, et CAR. SIGONIUS de *Antiquo iure Italiae et Prouinciarum*, alique plures.

Magistratus vero in coloniis et municipiis erant varii, diuersisque nominibus insigniti. Summus municipiorum magistratus interdum nomen habet *dictatoris*, qualis erat Lanuuii *Milo*, pro quo extat Oratio Ciceronis. Hic, ut ait CORRADVS in *Quaestura* p. 186. ex illo erat municipio, nec in patria modo sua dictaturam gerebat, sed et Romae tribunatu jam functus erat, et consulatum petebat. Hoc enim jus municipiis, secundum supra allata GELLII verba, concessum erat, ut ciues eorum Romae aequae ac in patria munera capere possent. Id quod etiam *Balbi* exemplo confirmatur, qui eodem tempore Romae quaestor, et Gadibus quatuoruir fuit. V. CIC. *ad Diu.* X, 32. Sed haec *as èv τραπεζας*. Aliis in municipiis, qualia fuere Theanum Sidicinum, et Ferentinum, teste GELLIO *Noct. Attic.* X, 3. *Quaestoris* nomen summum magistratum denotauit. Apud Arpinates vero, vnde Cicero oriundus est, summus magistratus *Aedilis* appellabatur, quem

quidem honorem Cicero filio suo, fratrisque filio et M. Caesio destinauerat. *Is enim magistratus*, inquit CIC. *ad Diu.* XIII, II. *in nostro municipio, nec vltus alius, creari solet.* Ceterum praeter summos magistratus etiam alia magistratuum genera in urbibus prouinciarum, v. g. Cenfores, Aediles, Quaestores, ad exemplar Romanorum fuisse ex Epp. Plin. et ex Corpore Juris Ciu. colligimus. Nec inique ad magistratus, certe minores, et forsitan potissimum Graecarum ciuitatum in Asia referuntur *Ἐκδικοί*, s. curatores rei numariae, aut Quaestores, quos in CIC. *ad Diu.* XIII, 57. et PLIN. Epp. X, III. nominatos reperimus. Conf. ERNESTI *Clau. Cic. in Ind. Lat.* Peculiare municipalis magistratus nomen in *Act. App.* XIX, 35. occurrit, vbi a Luca ē *ὑπαμματῶδης* nominatur, quem quidem BENSON in *Paraphrase Librorum quorundam N. T. T. I.* p. 289. vern. vers. iure, nisi fallor, praetorem vrbis Ephesinae esse putat. Non me praeterit, RICHARDVM BISCOE in *Expof. Act. App.* p. 183. vern. vers. sub hoc nomine vnum ex praecipuis sacerdotibus, ludorumque, Ephesi in honorem Dianae institutorum, curatoribus intelligere. Quemadmodum idem τῶν Ἀσιάρχων, quorum mentio fit *Act.* XIX, 31. et quos alii principes Asiae putant, sacerdotes summos, omnium Graeciae ciuitatum in Asia consensu ad celebrandos ludos electos, fuisse existimat. Quamuis autem hoc posterius illi facile concesserim, τὸν ὑπαμματῶδα tamen magistratum ciuilem, non sacerdotem, fuisse, sermo illius ad Ephesini populi concionem habitus extra omnem dubitationem ponere mihi videtur (*).

Vt plurimum vero summi magistratus in municipiis *quatuoruiri*, in coloniis *duumuiri* nominantur, de quorum insignibus et potestate quaedam annotata reperimus in ANTON. AVGVSTINI *Lib. de Legibus et Scitis*, p. 197. BISCOE, *Expof.* p. 212. cet. Erant autem hi in prouinciis iidem, qui Romae consules, Graece *στρατηγοί*, quales sunt illi, quorum *Act.* XVI, 20, 22. mentio injicitur, Philippis, in vrbe Macedoniae, quae quidem v. 12. expresse *colonia* dicitur. Vnde non male BENSON l. c. p. 58. τὸν στρατηγὸν latine *duumuiros* appellat. Vox quidem τῶν στρατηγῶν in propria sua significatione non de duumuiro coloniae, sed de consule vel Praetore Romano vsurpatur. Sensim tamen et per adulationem etiam magistratibus municipalibus hoc nomen tributum est, de quo v. BISCOE l. c. Et quatuoruiratum quidem summum in municipiis praefertim magistratum fuisse,

ex

(*) Cf. Chr. Gottlieb Schwarzii *Diss. de ὑπαμματῶδαι, magistratu ciuitatum Asiae Proconfularis.* Altorf, 1735.

ex eo apparet, quod Caesar in Gallia transpadana colonias jure Latii donatas in formam municipiorum redigi cupiens, quatuoruiros ibi creati studuit, qua de re adeat, qui vult MANVTIVM in *Comment. ad Cic. ad Diu. XII. 1.* At enim quatuoruiros non in municipiis modo, verum etiam in coloniis receptos fuisse CICERONIS *Epistola ad quatuoruiros Fregellanos, et Decuriones, ad Diu. XIII. 76.* confirmat. Fregellae autem colonia fuit. Ex quo patet, interdum quatuoruiros in coloniis inueniri, quemadmodum municipiis non semper ^{quatuor} uiros, sed et quandoque ^{decem} quatuoruiros praefuisse CAR. SIGONIVS de Ant. Jure Italiae L. 2. docet. Horum a consiliis erant *decuriones*, qui quidem in municipiis et coloniis idem, quod Romae, senatus, agebant. Hos non, vt Romae, *Patres Conscriptos*, sed simpliciter tantum *Conscriptos* appellatos fuisse, demonstrat NORISIVS *Cenotaph. Pis. Diff. I. C. 3.* Nomen vero *senatus et senatorum* Romani sibi solis vendicabant, et illis, tanquam nimis honorificum, plerumque negare solebant. Qua de re nos certiores faciunt verba CICER. *de leg. Agr. c. Rull. II. 34.* vbi de duumuiris Capuae dicit: *Cum ceteris in coloniis duumviri appellentur, hi se praetores appellari volebant. Quibus primus annus hunc cupiditatem attulisset, nonne arbitramini, paucis annis fuisse consulum nomen appetituros?* Interim non desunt ejusdem CICERONIS loca, in quibus etiam municipiis *senatum* tribuit. Sic *ad Diu. X. 32* de *senatu* Gadibus trucidato loquitur, et in *Verr. L. II. C. 49.* vbi de Sicilia sermo est, quae quidem meliori jure, quam ceterae prouinciae, erat, non *decurionum*, sed *senatorum* mentionem facit. Addimus his loca LIVII *Hist. VIII. 19, 20.* vbi *Senatus Fundanorum et Priuernatum* nominatur, nec non PLINEIVM *Epp. X. 85.* Adi etiam, si lubet, SALMASIVM ad *Spart. Adrian. C. 1.*

His praemisissis, quae quidem ad rem pertinere videntur, propius ad consilium nostrum accedentes, paulo vberius de *decurionibus* agamus.

Nomen *decurionis* ab initio militare fuit. Vnde FESTVS: *Decuriones appellantur, qui denis equitibus praesunt. NONIVS MARCELLVS, C. XII. 7. Decuriones a numero, cui in militia praeerant, nominabantur. VARRO de L. L. L. IV. C. 16. Turma terma est; E in V abiit; quod terdeni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Ramnium et Lucerum fiebant; Itaque primi singularum decuriarum Decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis etiam nunc sunt terni.* Sub imperatoribus hoc nomen a militariibus ad domestica ministeria translatum videtur, ita, vt in vniuersum illi, qui aliis praeesent, *decuriones* dicerentur. Sic certe placet TORRENTIO ad *Suet. Domitian. C. 17.* vbi *Decurio Cubiculariorum* nominatur, cui ex

lapidibus *Decurio Lecticariorum*, et *Ostiariorum* addi potest, quae quidem nomina utrum de praefecto totius coetus, an partis tantum ejusmodi ministrorum intelligenda sint, in ambiguo est.

In *decurionibus* vero, de quibus haec loci sermo est, significatio militaris aliquatenus retenta videtur, et illos denotat, qui in municipio aut colonia Romani imperii collegio virorum, publica negotia curantium, interfuerunt. In graeca lingua *βουλευτής* idem significat. Vnde si *Josephus*, Nicodemi in sepultura Christi curanda socius, *Marc. XV, 43. & Luc. XXIII, 50. βουλευτής* nominatur, recte cum interprete vetere latino *decurionis* nomine utimur. Quod quidem tanto minus dubium est, cum Graecum vocabulum in Latinam Linguam receptum ap. *PLIN. Epp. X, 113. 115.* occurrat, ubi eosdem *buleutas* nominat, qui *Ep. 114. decuriones* appellantur; Quemadmodum idem *PLINIVS l. c. et Ep. III. decurionum* collegium voce ex Graeco sermone desumpta *bulen* nominare solet, haud dubie, quoniam ibi sermo ipsi est de Graecis in Bithynia ciuitatibus; De eodem enim idem *L. X, Ep. 85. vocabulis senatus et curiae* utitur. Latinum nomen *decurionis*, qui alio *curialis* nominari consuevit, vnde deducatur, variae sunt doctorum sententiae. *MANVTIVS in Comment. ad Cic. ad Diu. VI, 18.* a numero illorum deriuatum esse, existimat, utpote qui scribit: „Ac nomine „quidem ipso decuriones decem tantum videntur; Sed plures fuisse constat „ex eo, quod in secunda agraria (c. 35.) centum nominantur.“ Cur vero non viro docto ex ipso hoc Ciceronis loco in suspensionem venit, perperam decurionis nomen a numero deriuari? Fortasse magis se doctis probabit sententia *POMPONII ICTI l. 239. § 5. D. de verb. signif. „Decuriones* quidam dictos ajunt ex eo, quod in initio cum coloniae deducerentur, decima pars eorum, qui deducerentur, consilii publici gratia conscribi solita sit.“ Sed nec haec omnibus arridet. Audiamus nunc *ISIDORVM Origin. l. IX. C. 4. „Decuriones* dicti, quod sint *de ordine curiae. Officium enim curiae „administrant — Curiales* autem iidem, qui *Decuriones*, et dicti *Curiales*, „quia ciuilia munera procurant et exsequuntur.“ Rursus aliam *VELSERVS Rer. August. Vindel. l. 5. Opp. p. 266.* huic vocabulo originem tribuit, utpote qui decuriones inde nomen accepisse putat, quod in decuriis distributi videantur. Nos etiamsi liberam cuiilibet eligendi optionem relinquimus, in *POMPONII* tamen sententiam ire non veremur, quicquid aduersus eam dicat *VAL. CHIMENTELLIUS de honore Bisellii, C. 37.*

Haec de nomine. Deinceps ad ipsam rem progredimur, ubi ante omnia dispiendum videtur, quid potissimum fuerit requisitum, ut quis honore decu-

decurionis dignus haberetur. Auctore CICERONE, in *Verr.* L. II. C. 49. ubi varia huc pertinentia legere licet, praecipue tria, genus nimirum, census, et aetas spectabantur. Quod ad genus attinet, in legendis decurionibus honestorum virorum, et inter eos praesertim illorum, qui a decurionibus oriundi erant, rationem habitam fuisse, ex legibus in Corpore Juris Civilis obuiis apparet. Sic enim legimus l. 45. C. *de decurionibus* &c. „Ad sub-
 „eunda patriae munera dignissimi meritis et facultatibus eliguntur, ne tales
 „forte nominentur, qui functiones publicas implere non possint.“ Qui
 contra accusauerant aliquem crimine publico, et sine abolitione desisterant,
 aequae, ac damnati calumniae causa iudicio publico decurionis honore in-
 digni videbantur. l. 6. *D. de decur. et eor. fil.* Spurius vero atque adeo
 ex incestu natos, cum alii legitimi deessent, in ordinem decurionum recipi
 leges non vetabant, siquidem ex utilitate ordinis videbatur, semper ordinem
 plenum habere, nec ejus, qui nihil admiserat, dignitas impediri debebat l. c.
 l. 3. et 6. Quid? quod illos, qui ob vitiosissima mala vendita flagellis ab *aedi-*
libus caesi fuerant, aut relegatos post exactum relegationum tempus, si
 tempore damnationis aetatem decurionalem nondum adepti erant, nec
 morum indoles impedimento erat, ad decurionatum admitti, si alii hone-
 stiores deerant, leges permiserunt. In ciuitatibus tamen, honestorum vi-
 rorum copiam habentibus, non recipiebantur. l. 12. et 13. *D. de decur. &c.*
 Nec patris delictum innocenti filio poenae erat, ideoque nec ordine decu-
 rionum, nec ceteris honoribus ob ejusmodi causam prohibebatur. l. c. l. 2.
 §. 7. Porro in seruitute patris sui natus, dummodo ex libera matre pro-
 creatus esset, decurio in ciuitate sua fieri non prohibitus est. l. 9. *D. l. c.*
 Eos adeo, qui Judaicam (*) sequebantur superstitionem, diui Seuerus et
 Antoninus honores adipisci permiserunt, ita tamen, vt id agere non coege-
 rentur, si forte in sua superstitione laedi se putarent. l. 3. §. 3. *D. l. c.*
 Huc pertinent, quae CICERO *ad Diu.* VI, 18. scribit, eos, qui facerent
 praeconium, (lege Caesaris) vetari esse in decurionibus, qui fecissent, non
 vetari. Nec litterarum expertis a dignitate decurionis exclusus est l. 6. C.
de Decur. et fil. eor. Alienae tamen ciuitatis hominem inter decuriones
 recipi, certe in Bithynia, lege Pompeja vetitum fuit, teste PLINIO *Epp.* X, 115.
 Plane vero surdum et mutum ad honores ciuiles capiendos ineptum habitum
 fuisse, quod l. 7. *D. de decur. et eor. fil.* legitur, nemini iniquum videri potest.

Porro

(*) Forsitan haud errant, qui sub hoc nomine Christianos etiam comprehendi
 existimant.

Porro in eligendis decurionibus censum intuebantur, dignissimosque facultatibus reliquis praeferebant. l. 45. C. de decur. Requirebatur ad decurionatus honorem capiendum auctore PLINIO *Epp.* I, 19. *centum millium* (sestertiū) *census*. Necessse erat, vt qui in ordinem recipi vellet, vltra viginti quinque iugera possideret. l. 33. *Cod. Theod. de decur.* Et profecto ad varios sumtus, qui cum decurionis honore conjuncti erant, sustinendos opus erat illos prae ceteris ad decurionatus munia deuocare, quos ad decurionum subeunda munera splendidior fortuna subuexerat, l. 53. l. c.

Tandem in decurione aetatis etiam habita est ratio, siquidem plerumque nec minores annis viginti quinque, nec annis quinquaginta quinque majores eligebantur. Et quoties propter aliorum penuriam, aliusue de caulis minores annis viginti quinque hoc honore ornabantur, suffragium tamen inter ceteros ferre non poterant, quanquam illis sportulae neutiquam negarentur. l. 6. D. de decur. et eor. fil. Apud Bithynos praesertim lege Pompeja minori annorum triginta capere magistratum, aut decurionibus adnumerari non permissum fuit; quod quidem postea edicto Augusti ita mutatum est, vt ab annis viginti duobus minores magistratus capi possent, et qui semel magistratum gessisset inter decuriones reciperetur, etiam si minor annorum triginta esset. PLINIUS *Epp.* X, 83.

De numero Decurionum in vnaquaque ciuitate in vniuersum certi quid haud facile in medium adferri poterit. CICERO de *Lege Agr. c. Rull.* II. 35. *centum decuriones* a decemuiris constitutos fuisse dicit. Ex quo loco quidem non sine ratione colligit NORISIVS *Cenotaph. Pisf. Diss.* I. C. 3. Decemuiros, vel Triumuiros, (nam eorum numerus non semper idem erat) qui coloniam deduxerant, etiam in principio decurionum numerum definiisse. Licet autem cum viro docto haud aegre credamus, Triumuiros coloniae deducendae numerum decurionum in ea constituisse, falso tamen aliquis ex verbis Ciceronis opinaretur, centum vbique decuriones, nec interdum aut plures aut pauciores fuisse. Forfitan a multitudine hominum in coloniam deductorum numerus decurionum pependit. Haec de coloniis. Quis vero in municipiis decurionum numerum descripserit, et quantus eorum numerus fuerit, de eo nihil plane adfirmare licet, cum scriptorum deficiamus auctoritatibus.

Eligebantur autem decuriones ad institutum semel numerum conseruandum in locum defunctorum, aut quacunq; alia de causa decedentium substituendi, a Censoribus cuiusque ciuitatis, ita tamen, vt Censores Praefidem prouinciae consulerent. *Censores* enim in municipiis et coloniis aequae

ac Romae locum habuisse PLINIVS *Epp.* X, 83. et 113. nos dubitare non sinit. Siquis sponte decurionis honorem suscipiebat, ab albo eximi non poterat, licet annosum se esse diceret l. 3. *C. de decur. et fil. cor.* Honores certe gerere debebat, tametsi munera ciuilia subire non cogeretur l. 2. §. 8. *D. de decur. et cor. fil.* Quibusdam in locis decuriones pro accepto honore pecuniam s. honorarium dare cogebantur, qua in re tamen cuiusque ciuitatis lex valebat. PLIN. *Epp.* X, 113. 114. Alibi magistratum ineuntes collegis suis binos vel singulos denarios dare solebant, quas *sportulas* vocare moris erat. PLIN. X, 117. Id quod tamen non vbique locorum inualuisse, et praeterea ab vnjuscujusque arbitrio pendisse admodum verisimile est. Illi certe nihil pendere cogebantur, qui inuiti decuriones fiebant. Quosdam enim inuitos decurionatum suscepisse ex Trajani verbis ad PLINIVM *Epp.* X, 114. patet. Nec id mirum est, si *munera* intuemur, quibus decuriones fungi cogebantur. Fuerunt haec tum *personalia*, quae cum corporis labore et sollicitudine animi ac vigilantia praesertim conjuncta erant, tum *patrimonialia*, in quibus sumtus maxime postulabantur. l. 1. *D. de muner. et honor.* Quae quidem munera decurionibus tanto magis oneri erant, cum in prouinciis eodem modo, quo Romae, antiquis temporibus magistratus nullam pro laboribus mercedem acciperent, sed omnia ab illis gratis, et sine vlla spe lucris administranda essent.

Praeterea talis honor non poterat non iacturam rei familiaris secum ferre, siquidem decuriones suis sumtibus in gratiam populi ludos et spectacula edere, aut fori annonam curantes illius caritati interdum subuenire, et frumentum vilius vendere cogebantur. Vnde facile creditu est, multos aegre ad tale munus suscipiendum permotos fuisse. Huc accessit auaritia, et crudelitas praesidium Romanorum, in prouinciis, qui decuriones praeter aequum et iustum vexabant. Id quod partim exemplo Verris ex Cicerone confirmatur, partim ex illis liquet legibus, in quibus interdictum est, ne decuriones, illorumque familiae in metallum, nec in opus metalli damnarentur, nec furcae subjicerentur, nec viui exurerentur. l. 9. §. 11. *D. de poenis.* Eodem pertinent l. 5. *C. ex quibus infam. irrog.* l. 16. *C. de quaestion.* l. 3. et 11. *C. de poenis.* l. 33. *C. de decur. et fil. cor.* vbi decuriones filiosque decurionum iustibus castigari, ob alienum vel ob suum debitum torqueri, in opus publicum dari, s. plebejorum poenis adfici, filios bestiis subijci, filiasque in metallum damnari prohibitum, et siquis iudicium decurionem, et suae curiae, si sic dici oportet, senatorem tormentis subdere ausus erat, viginti librarum auri illatione et perpetua infamia multatus est: Nisi forte decuriones contra

B

prin-

principem vel rempublicam dicerentur moliti, aut alii decoctores pecuniae publicae, vel fraudulentum in adscriptionibus illicitis vel immoderati in exactio- nibus fuissent, quos plumbatarum ictibus subijci per *leg. 117. C. Theod. L. 12. T. 1.* permissum erat. Quorsum omnes illae leges cum commina- tionibus aduersus prouinciarum rectores, nisi illi decuriones multis modis male habuissent? Sine dubio ne his quidem legibus impediti fuerunt, quo- minus eos interdum misere exagitarent.

Praeter haec variis decuriones obnoxii erant incommodis, quae quam- plurimis non poterant non displicere. Decurio agros, vectigalia, et familia conducere legibus prohibebatur. *l. 4. et 6. D. de decur. et eor. fil. nec vr- bana, vel rustica praedia sine decreto curiae vendere poterat, l. 1. C. de praed. decur. sine decr. non alien.* Si sine filii legitimis mortem obibat, partem facultatum suarum quartam curiae relinquere cogebatur, quemad- modum in *Novell. Theodos.* legimus. Quibus de causis multos omnem operam dedisse, vt decurionatum a se declinarent, facili conjectura adsequi possumus. Interim nemo, ad hunc honorem a praefide prouinciae vocatus, sine legitima causa eum declinare poterat. Nam per *l. 13. C. de decur. et fil. eor.* a muneribus decurionatus nec sententia praefidis in perpetuum, nec anni quinquaginta, nec valetudo podagrae excusationem praestitit. Si vero ad magistratum, siue decurionatum nominati aufugerant, requirebantur, et quoties pertinaci eos animo latere patebat, his ipsorum bona mittebantur, qui praesenti tempore in locum eorum ad munera vocati erant. *l. 18. C. de decur. et fil. eor.* Non nisi minores annis viginti quinque, maioresque quinquaginta quinque, et praeter hos nauicularii ab hoc munere liberi pronunciari poterant. *l. 2. §. 8. l. 9. et l. 11. D. de decur. et eor. fil.*

Commoda contra, vel emolumenta decurionum oppido exigua fuerunt. Honor ipse decurionatus, et ius loci inter decuriones obtinendi fortasse qui- busdam tanti videri poterant, vt omnia cum decurionatu conjuncta incom- moda parui pendentes tale munus ambirent. At hic honor non nisi illos fortiter adlicere poterat, qui humiliori loco nati erant, et super alios eminere cupiebant. Vid. VAL. CHIMENTELLIVS. *l. c.* Alii contra haud dubie lubenti- ssime tali honore superfedebant, praeter quem ex muneribus suis parum aut nihil emolumentorum capere poterant. Inter quae primo referimus id, quod lege sancitum inuenimus, eum, qui non fiebat decurio, duumviratu, vel aliis honoribus frui non posse, quoniam decurionum honoribus plebeji fungi prohibebantur. *l. 7. §. 2. D. de decur. et eor. fil.* Porro quibusdam in locis annuis fruebantur legatis, quales fuerunt
diui-

diuisiones, quas quendam decurionibus die natalis sui quotannis dari uoluisse, *l. 23. D. de ann. leg.* reperimus. Alibi epulum decurionibus testamento relictum Gruterianae quaedam inscriptiones testantur, quas videre est ap. BARN. BRISSONIVM *de Formulis et Solemnibus Populi R. uerbis.* L. VII. n. 118. Nec omittendae sunt *sportulae*, nonnullis in ciuitatibus ab illo, qui in ordinem decurionum recipiebatur, collegis distributae; de quibus jam supra mentio facta est. His emolumentis addere liceat alimenta decurionibus facultatibus lapsis decreta, maxime, si ob munificentiam in patriam patrimonium exhauerant. *l. 8. D. de decur. et eor. fil.* Miserum egestatis in administratione reipublicae contractae solatium!

Ab altera parte decuriones variis poenis obnoxii erant. Delictis grauioribus commissis sub libera republica exilium in usu erat, et sub imperatoribus *relegatio, deportatioque*, in illius locum substituta, nomine saltem diuersa, re uero ipsa eadem fuit, eaque pro criminis natura vel ad tempus, vel in perpetuum durauit. Quibusdam simpliciter vel *Urbe et Italia*, vel *provinciae* interdictum est. Aliis insula, in quam deportarentur, decreta est, quam egredi illis non licuit, adeo, ut ne post mortem quidem, si in perpetuum relegati erant, corpus eorum inde transferretur. Relegatis autem in uniuersum nec Romae, quae communis patria dicebatur, nec in urbe, ubi princeps versabatur, aut per quam transibat, morari permissum fuit. Insula uero relegatis aut ab ipso Prouinciae Praefide assignabatur, si qua ad ejus prouinciam pertinebat, aut si deerat, imperatoribus assignanda tradi debebat. Diem, quo relegatus urbe sua excederet, idem prouinciae rector constituebat. Cum deportationis et relegationis poena non quidem semper, sed interdum tamen partis bonorum ademptio coniuncta fuit. Alios ob falsi causam, vel aliam de grauioribus ordine motos fuisse *l. 5. D. de decur. et eor. fil.* alibique reperimus. De quibus omnibus, aliisque poenarum generibus plura legere si quis uoluerit, BRISSONIVM l. c. L. 5. n. 219 seq. euoluat.

Decurionum electorum nomina in albo scribebantur eo ordine, quem consuetudo requirebat. Quae si deerat, dignitatis ratio habita est, ita, ut primi essent, qui duumviratum gesserant, et antiquissimus quisque duumuir prior, deinde, qui secundo post duumviratum honore functi erant, et sic porro, tandem, qui nullo honore functi erant, prout quisque in ordinem uenerat. Hic ordo quoque in sententiis ferendis locum habuit. *l. 1. D. de albo scrib.* Primus sententiam rogabatur ille decurio, qui pluribus decoratus erat honoribus. Praeterea aliis praeferebatur, qui plures habebat liberos. *l. 6. ff. 5. D. de decur. et eor. fil. et l. 9. C. de decur. et fil. eor.* Peculiaris

AK IIc 13 16

liaris vero honor inde ad decuriones videtur redundasse, si inter priores quindecim, vel decem, vel sex, vel quinque locum haberent. Numerus enim *principalium*, quemadmodum nominari solebant, non idem ubique fuit. Omnium tamen frequentissime *decem primorum* apud scriptores mentio habetur. Plura dabit NORIS. *Cenograph. Pis. Diss. 1. C. 3.*

Locus, vbi conuocabantur, erat *Curia*, vel quoduis aliud templum, praeter curiam, quae et ipsa templum, hoc est locus inauguratus dici solebat. Jus illos conuocandi partim prouinciae rector, vt ex *l. 2. C. de decur. et fil. eor.* apparet, partim, quod nemo dubitabit, diuiniui habuerunt, iidemque de rebus, quae in deliberationem cadebant, referentes, sententiam decuriones rogabant, quibus dictis *decretum* factum est. Nam in prouinciis non *Senatusconsulti*, sed *decreti* nomen usurpare permissum erat. In hoc vniuerso negotio magistratus municipales morem Senatus Romani secutos esse facile BRISSONIO credimus, qui Libro suo ante laudato L. II. n. 159. varia decretorum municipalium exempla ex Gruterianis inscriptionibus inseruit, quae cum huc transferre propter chartae angustiam non liceat, in ipso libro lectori quaerenda relinquimus.

Tantum de decurionibus. Nunc, quod reliquum est, VIROS eijuscunq; Ordinis et Dignitatis *Splendidissimos, Excellentissimosque*, de Ecclesia, de Republica, et de literis humanioribus Optime meritos, *Patronos ac Fautores Maximopere Deuenerandos*, ea, qua decet, pietate atque obseruantia rogamus, atque obsecramus, vt ad audiendam orationem, auspiciandi muneris causa recitandam, si commodum est, et si valde vacat, conuenire, et hunc actum solennem praesentia sua honorifica condecorare ne dedignentur. D. Neostadii ad Dresdam. A. d. IX. Kal. Jul. A. R. S. clo Id CCLXXII,

X 231 6496





Farbkarte #13

B.I.G.

DE
DECVRIONIBVS
IN MVNICIPIIS ET COLONIIS IMPERII
ROMANI
EXERCITATIO BREVIS

QVA AD
ORATIONEM ADITIALEM
AVDIENDAM

PER OFFICIOSE INVITAT
M. CHRISTIANVS FRIDERICVS JÜNGERVS
RECTOR SCH. NEOSTAD. AD DRESDAM.



DRESDAE
TYPIS HAR PETERIANAE VIDVAE.